FRANCISCUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei

Venerabili Fratri **Angelo Fernández Collado**, hactenus Episcopo titulo Illiturgensi atque Auxiliari Toletano, Episcopo Albasitensi destinato, salutem et Apostolicam Benedictionem. Fiduciam habemus per Christum ad Deum (cfr 2 Cor 3,4), qui sacrae legis omnia constituta in sua et proximi dilectione posuit, quia misericordia eius ipsa catholica Mater et ipse Pastor in ea ubique quaerunt errantes, confortant infirmos, curant languidos, alligant confractos (cfr s. Augustinus, Sermo 46,18). Haec tamquam apostolicae missionis suscipientes rationem, ad spirituales necessitates mentem flectimus gregis Albasitensis, qui post renuntiationem postremi sacrorum Antistitis sui, Venerabilis Fratris Cyriaci Benavente Mateos, novum exspectat vitae suae dioecesanae moderatorem. De te ergo, Venerabilis Frater, cogitavimus, qui, multis cumulatis meritis pastorali in officio tuo Auxiliaris in Archidioecesi Toletana exercendo, singularem adeptus es aestimationem ac spiritualibus una et humanis dotibus ornatus videris, quae aptum te efficiunt ad hoc munus explendum. Proinde, audito consilio Congregationis pro Episcopis, Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, te, superioris titularis Ecclesiae vinculo atque Auxiliaris munere resolutis, Episcopum **Albasitensem** constituimus, debitis datis iuribus congruisque impositis obligationibus. Hoc de Nostro decreto edoceas volumus clerum et populum huius ecclesialis communitatis, quam exhortamur, ut te patrem diligendum, magistrum audiendum, custodemque animarum colendum accipiat. Pleniora haec officia tibi commendantes, Venerabilis Frater, Deum exoramus, ut faciat gregem istum tibi commissum, exemplo tuo ductum ac navitate, in mundo testem ardentem Evangelii, qui obturet aurem suam ad clamorem pauperis numquam et cum intellectu servet legem Domini et custodiat in toto corde suo. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo quinto mensis Septembris, anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

Franciscus

[illegible], Prot. Apost.